

Barbosa in cit. cap. *Excommunicamus* 13, de *Hæreticis* n. 20, Pirhing. loc. cit., n. 106, Reiffenstuel. loc. cit., n. 248, Sporer loc. cit., n. 27. (37. Receptores dantur, qui Hæreticos ob causam hæresis fugientes domo, vel alio loco recipiunt, et abscondunt, ne a iudicibus legitime inquisiti capiuntur; *Communis*. (38. Defensores dicuntur, qui quovis modo, vi aut dolo, verbis, aut calamo Hæreticorum errores, vel personas defendunt, et impediunt ne cum eis iustitia fiat; *Communis*. (39. Fautores dicuntur, qui aliquem illis favorem præstant, quo eorum hæresis, aut immunis permaneat, aut illam liberius diffundere possint, et exercitia sua hæretica, conventicula, aut alia quæque ad hæresim fovendam, et promovendam spectantia exercere valeant; *Communis*. (40. Excommunicationem ipso facto etiam incurrunt, qui hæreticos, aut eis credentes, aut eorum receptores, defensores, aut fautores in loco sacro sepeliunt; cap. *Quicumque* 2, de *Hæreticis*.

(41. Omnes Hæretici publici, et notorii ipso facto sunt irregulares, et remanent tales etiam post conversionem, et absolutionem; *Communis* ac certa; arg. cap. *Nos consuetudinem* 8, dist. 12, cap. *Si qui presbyteri* 1, cap. *Convenientibus* 4, § *Ex hac auctoritate*, et cap. *Saluberrima* 21, caus. 1, quæst. 7, juncto cap. 2, § *Hæretici*, et cap. *Statuimus* 15, de *Hæreticis* in 6. (42. Etiam hæretici occulti probabilis sunt irregulares; sicut enim ob hæresim occultam contrahitur excommunicatio, ita et irregularitas; jura enim universaliter loquuntur; tum quia Clemens VII concessit inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate ob hæresim occultam, quod est manifestum signum eam etiam incurri propter hæresim occultam, aliter esset superflua talis concessa facultas dispensandi in ipsa; sic Farinac. de hæresi, quæst. 192, numer. 68; Donatus, prax. ferum regul. tom. II, tract. 5, q. 21, n. 5; Silvest., verb. *Crimen*, qu. 2, num. 3; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. 11, qu. 3, et cap. 21, qu. 8; Sanchez, lib. II, Moral., cap. 25, num. 2; Reiffenstuel, loc. cit., num. 225, cum communiori, et veriori aliorum. (43. Irregularitas incurritur etiam a credentibus, receptoribus, defensoribus, et fautoribus Hæreticorum; cap. *Quicumque* 2, § *Hæretici*, et cap. *Statutum* 15, de *Hæreticis* in 6.

(44. Hæretici omnes, credentes, receptores, defensores, et fautores eorum, sunt inhabiles ad beneficia, et officia ecclesiastica; textu expresso in cit. cap. *Quicumque* 2, § *Hæretici*, et cit. cap. *Statutum* 15, de *Hæreticis* in 6. (45. Hinc tenentur beneficia in hæresi recepta una cum fructibus dimittere, et restituere; arg. cit. c. *Quicumque* et cit. cap. *Statutum*, ubi expresse subjungitur: « Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, et inane, » quod autem est irritum et inane nullo modo subsistit, et sic talis collatio beneficii est ipso jure nulla, et fructus injuste sunt recepti, adeoque, etc. Farin., de *Hæresi* qu. 189, num. 71; Garcias, de *Benefic.*

p. 11, cap. 10, num. 72 et 80. Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 27, num. 4; Pirhing loc. cit., num. 49; Reiffenstuel, loc. cit., num. 257, et alii passim. (46. Talis inhabilitas ad beneficia, et officia ecclesiastica durat in ipsis etiamsi convertantur, et hæresim abjurent, præsertim si fuerint publici, seu notorie Hæretici; Geminian. in cap. *Super eo* 4, de *Hæreticis*, in 6; Hostiens. in *Summa de Hæreticis*, § *Quando, et qualiter*, n. 12; Palao de *Hæresi Tract.* 4, disp. 5, punct. 5, n. 2, et dicens id esse certum; Reiffenstuel, loc. cit. n. 258, alii relati a Farinac. de *Hæresi* qu. 193, num. 68. (47. Et hæc inhabilitas probabilis durat etiam in Hæreticis occultis post eorum conversionem, et absolutionem; jura enim citata indistincte loquuntur, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; cap. *Quia circa* 22, de *privil.* et l. de *pretio*, ff. de *Publiciana in rem action.* Reiffenst. loc. cit. n. 269, et alii apud Farin. de *Hæresi* q. 189, num. 82, et seq. et quæst. 193, a num. 66 et Donat. *Prax. rer. Regul.* tom. II, tract. 5, q. 21, n. 5 ubi ex cap. *Nos consuetudinem* 8, dist. 21, et cap. *Convenientibus*, § *Ex hac auctoritate* 4, caus. 1, qu. 7, expresse dicit, quod qui lapsus est formaliter in hæresim, sive occulte, sive manifeste, etiam post absolutionem remanet irregularis, non solum quo ad recipiendas dignitates, sed etiam quo ad recipiendos ordines; et etiam ad exercendos eos, quos habet; Ricciul. de *Jure Person.* lib. V, c. 18, n. 1; Bonac. de *Censur.* disp. 7, q. 5, p. 7, n. 6 et seq., et multis citatis Peyrin. tom. II, de *Prælat.* q. 2, c. 5, § 6, n. 73.

(48. Hæretici, eisque credentes, receptores, defensores, et fautores eorum, sunt in super privati beneficiis, et officiis prius rite obtentis; *Communis*, arg. cap. *Ad abolendam* 9, de *Hæreticis*, et cap. *Ut commissi* 12, eod. in 6. (49. Et hoc ipso jure ante sententiam iudicis; Garcias, de *Benefic.* p. 11, cap. 10, n. 66. Gonzal., ad *Regul. Cancell. Gloss.* 15, num. 65; Farin. de *Hæresi*, q. 183, num. 77; Sanchez l. II. *Moral.* c. 26, n. 6. Reiffenstuel. loc. cit., num. 262; Flaminius, lib. III, q. 1, num. 31, Castro Palao, loc. cit. Covarruv., *Variar. resolut.*; c. 8, n. 4, et communior; et probabilior cum Fagn. in cit. cap. *Ad abolendam*, a num. 29 usque ad 44, arg. cit., cap. *Ad abolendam* 9, de *Hæreticis*, et facit praxis, et stylus curiæ romanæ Hæreticos a die commissi criminis hæresis censentis privatos beneficiis, ita ut a die lapsus in hæresim nulli amplius resignari possint, sed a quovis impetrari valeant; Fagn. loc. cit., num. 41. (50. Sic de tali stylo et praxi testantur Sanchez et Farin. locis citatis. Ante tamen sententiam declaratoriam criminis commissi beneficia dimittere, et fructus post privationem ipso jure statutam perceptos restituere non tenentur; arg. cap. *Cum secundum leges* 19, de *Hæreticis*, in 6. Farin. loc. cit., qu. 189, num. 8; Sanchez loc. cit., num. 7; Castro Palao, loc. cit., num. 5; Reiffenstuel, loc. cit., num. 265; Azor. p. 1, lib. 5, cap. 8, q. 3; Fagn., loc. c. num. 42, citans alios. (51. Hinc in-

fertur quod privatio beneficiorum prius rite obtentorum locum non habeat, quandiu hæresis manet occulta, cum supra hæresi occulta nequeat, sententia declaratoria proferri; ut de se patet; Reiffenstuel loc. cit., numer. 266, et alii passim.

(52. Tam filii, quam nepotes patris Hæretici, soli autem filii non item nepotes, matris Hæreticæ ipso jure sunt inhabiles ad officia, et beneficia ecclesiastica, et irregulares, textu expresso in cap. *Quicumque* 2, § *Hæretici*, et cap. *Statutum*, 15, de *Hæreticis*, in 6, et sic communis doctorum. (53. Redduntur tamen habiles, si eorum parentes convertantur et ad Ecclesiam catholicam redeant, sive nati sint ante, sive post ipsorum conversionem, textu expresso in cit. cap. *Statutum* 15, § *Hoc sane de Hæreticis*, in 6. Rursus Communis. (54. Qui ad preces, vel recommendationem Hæreticorum obtinent beneficia, ipso actu privantur sic acquisitis, et inhabiles fiunt ad alia, textu expresso in cap. *Quicumque* 2, § *Ad hæc, de Hæreticis* in 6. *Communis*. (55. Hæretici, eorumque receptores, defensores, et Fautores, ipso jure privati existunt ecclesiastica sepultura; arg. cap. *Sicut* 8, de *Hæreticis*, et cap. *Quicumque* 2, eod. in 6. *Communis*. (56. Hæretici propter crimen hæresis confugientes ad Ecclesiam, non gaudent immunitate; Gregor. XIV, Constit. incip. *Cum alias*, ubi inter personas non gaudentes immunitate ecclesiastica expresse excipiuntur hæresis rei. (57. Notanter autem dicitur, « propter crimen hæresis confugientes, » quia si Hæretici tolerati confugiunt ad Ecclesiam propter aliud crimen, v. gr. furtum, homicidium, etc., immunitate gaudent ut cæteri, cum solum pro hæresis crimine, et non pro aliis delictis non exceptuatis immunitate priventur; Nicolius *Lucubr. utriusque Juris* part. 1, lib. II, tit. 8, *limita secundo*; Silvester verb. *Immunit.* 3, q. 3; Zoësius de *Immun. Eccles.* n. 16, et alii passim. Et sic docet praxis, et usus communis.

(58. Hæretici omnes sunt infames; cap. *Infames* 17, caus. 6, q. 1, cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes, de Hæreticis*, et Authen. Gazaros, Cod. de *Hæreticis*, ibi: « Omnes Hæreticos utriusque sexus quocumque nomine censeantur perpetua damnamus infamia. » Post tamen sententiam declaratoriam criminis commissi, ut docent Sanchez lib. II, *Moral.*, cap. 26, n. 1; Pirhing, loc. cit., num. 52; Reiffenstuel loc. cit., n. 239, et alii communiter nisi sint Hæretici publici, et notorie tales; Sanchez loc. cit., n. 2; Reiff. l. c. n. 304; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. 13, q. 8, et alii. (59. Receptores, defensores, et fautores Hæreticorum redduntur etiam ipsi infames, si postquam fuerint excommunicati intra annum satisfacere contempserint, textu expresso in cit. cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes de Hæreticis*. (60. Hæretici eorumque receptores, defensores, et fautores sunt etiam inhabiles ad omnia officia publica, honores, et omnes actus civiles; cit. cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes, de Hæreticis*, et concordat cap. *Qui-*

cunque Hæreticos 2, § *Hæreticos* in 6, l. *Manichæos* 4, *Quæ Samaritis* 18, et Authen. *Credentes*, Cod. de *Hæreticis*, et sic communis doctorum.

(61. Hæretici a die commissi criminis ipso facto amittunt patriam potestatem in filios, et isti efficiuntur sui juris, textu expresso in cit. cap. *Quicumque Hæreticos* 2, § *final. de hæreticis* in 6. Et ibi glossa communiter recepta, verb. *Desierint*. (62. Sic mulieres Hæreticæ amittunt dotem, et omnia alia privilegia, textu expresso in § *Item privilegium*, Cod. de *Hæreticis*. (63. Hæretici amittunt facultatem faciendi testamentum, et succedendi in hæreditatem, tam ab intestato, quam ex testamento; l. *Manichæos* 4, § 2 et 3, cod. de *Hæreticis*; concordat *Authen. Credentes*, et l. *Ariani*, et l. *final.* Cod. eodem; et expresse cap. *Excommunicamus* 13, § *Credentes, de Hæreticis*.

(64. Hæretici a die commissi criminis ipso jure incurrunt confiscationem omnium suorum bonorum ita ut nec filiis eorum catholicis successio aliqua vel hæreditas relinquatur: c. *Vergentis* 10, de *Hæreticis*, cap. *Cum secundum* 19, de *Hæreticis*, in 6. Et Authen. Gazaros, Cod. de *Hæreticis*. (65. Ante autem sententiam declaratoriam commissi criminis hæresis, Hæretici possessionem non amittunt, et bona sua fisco tradere non tenentur, arg. cit. cap. *Cum secundum* 19, de *Hæreticis ad finem*. Et communis doctorum. (66. Nisi tamen Hæretici sint publici, et notorie tales, quia tunc cum crimen jam notorie celari non possit declaratio illius non erit expectanda; arg. cap. *Evidentia, de accusat.* (67. Hæretici amittunt jurisdictionem, et dominium in vassallos et servos; ipsi enim vassalli, et servi, alique liberantur a privata obligatione debita Hæreticis, et fide eidem servanda textu expresso in c. *Absolutos* 16, de *Hæreticis*.

(68. Hæretici debent damnari ad carceres perpetuos, vel temporales juxta criminis, et personarum circumstantias et qualitates; cap. *Ut commissi* 12, vers. *Et illorum de Hæreticis* in 6. (69. Hæretici impenitentes ultimo supplicio affici, et comburi debent; sic communis doctorum; arg. l. *Ariani* 5, l. *Quicumque* 8, Cod. de *Hæreticis*, cap. *Excommunicamus* 13, de *Hæreticis*, et Constitutione Caroli V; ann. 1540, edita, vi ejus Hæretici impenitentes comburi, resipiscentes vero gladio feriri jubentur. (70. Sic etiam ultimo supplicio afficiendi sunt Hæretici elapsi etiam si poenitent et hæresim denuo abjurent, et plene se convertant; arg. cap. *Ad abolendam* 9, de *Hæreticis*, 8, eodem et concordat cap. *Super eo* 4, et cap. *Accusatus* in 6. Et sic communis doctorum, teste Palao de *Fide tract.* 4, disp. 6, punct. 2, n. 7.

(71. Filii, et Filiae parentum Hæreticorum, quamvis sint catholici, privantur quavis hæreditate paterna, tam ex testamento, quam ab intestato, eis aliis competente; cap. *Vergentis* 10, de *Hæreticis*, cap. *Cum secundum* 19, eodem in 6, et Authen. Gazaros., Cod. de *Hæreticis*. (72. Non sunt tamen incapaces hæreditatis ascendentium, collateralium et

exteriorum, quia jura statutaria privationem successionis ex testamento, et ab intestato loquuntur de sola successione paterna, non autem avi, collateralium, et exteriorum bonis, et consequenter ad hæc extendenda non sunt; arg. cap. *Odia* 13, et cap. *In pœnis* 49, de *Regul. Juris* in 6. Communis cum Farinaccio de *Hæresi*, quæst. 291, num. 26; Pirhing. loc. cit., num. 99; Molina de *Jure et Just.* disp. 6, num. 19. (73. Filii et filiae Hæreticorum sunt etiam infames: arg. l. *Quisquis* 5, Cod. Ad l. *Jul. Majest.* et cap. *Quicumque* 2, de *Hæreticis* in 6. Et expresse habetur in pluribus Constitutionibus pontificiis, ut Innocent. IV, incip. *Ad extirpanda* edita 1252; Alexandr. VI, inc. etiam *Ad extirpanda* edita 1259; Clementis IV incip. *pariter Ad extirpanda*, edita 1265; Honorii IV, inc. *Exhibita*, edita 1286, quibus specialiter declaratur filios Hæreticorum esse infames, ut videre est apud Farinac. de *Hæresi* quæst. 191, n. 26, et Pegna in *Director. Inquisit.* p. 1, comm. 4, vers. *Hæc autem infamia*; (74. Claudius tamen La Croix lib. vi, p. 12, numer. 2218, ex Sa. Henriq., Sanchez, Layman, Sayr, Gibal, Gobat, dicit, quod nati in Germania ex Hæreticis parentibus non sunt infames, unde conversi possunt sine dispensatione promoveri ad Sacros Ordines.

(75. Filii Hæreticorum sunt immunes a reliquis temporalibus, et corporalibus pœnis; cap. *Vergentis* 10, de *Hæreticis*, et l. *Quisquis* 5, Cod. Ad l. *Jul. Majest. Communis.* (76. Imo filii Hæreticorum sunt immunes etiam a pœna privationis beneficiorum, et officiorum obtentorum ante parentum condemnationem; quamvis enim Jo. Andr. Gigas et alii, quos refert Ricciullus de *Jur. Person.* lib. v, cap. 29, num. 4, teneant, et affirmant, ipsos talem pœnam incurrare; merito tamen negat Abbas in cap. *Vergentis* 10, de *Hæreticis*, num. 4, et alii. Unde cum tempore S. Mem. Clement. VIII, quæstio hæc ad Sedem Apostolicam delata fuisset, idem atque summus ac doctus Pontifex, auditis sententiis cardinalium, approbavit hanc partem negativam, ut testatur Ricciullus loc. cit. et recognosci potest ex decis. 87 et 90, impressis post II. vol. Consil. Farinac. Sic Ursaya Instit. Crimin. lib. 1, tit. 6, n. 72, et tenent Sanch. lib. II moral. cap. 28, num. 28. Menoch. consil. 803, numer. 33; Felin. in cit. cap. *Vergentis* num. 3; Clarus § *Hæresis* numer. 14; Pirhing. loco citat., numer. 106, et plures alii contra Gonzalez, Reiffenstuel. loc. citat. numer. 281, et plures alios ibi ab ipso citatos.

(77. Hæretici, qui ad catholicam Ecclesiam redeunt, possunt libere, ac licite retinere tanquam sua propria omnia bona ecclesiastica olim a suis majoribus seu a se ipsis usurpata. Sic novissime amplissime concessit Clemens XII const. incip. *Sedes Apostolica*, edita pro Hæreticis in ditione saxonica existentibus. Uti jam concesserat Benedictus XIII. Constit. incip. *Æterni Patris*, edita 12 Augusti 1724, pro Ruthenis redeuntibus ad Ecclesiam catholicam.

(78. Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiae a majori pœnitentiaro, vel

de ejus mandato; occulti vero sunt, qui etsi hæresim suam extrinsecis actibus manifestarunt, nemo tamen illos vidit; ita Benedict. XIV constit. 95, t. I, inc. *Pastor bonus*, § 9.

(79. Potest etiam major pœnitentiaro in foro conscientiae absolvere publicos Hæreticos, seu apostatas a fide, quando necesse non est complices denunciare; illis nempe mortuis, sive degentibus in locis palam infectis; non vero si vivant ubi inquisitionis officium viget; *ibid.*

(80. Principes, vel qui vicario nomine statui præsent, dominia, et republicæ illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, Episcopi, et Superiores prælati in casibus publicis contentis in bulla Cœnæ Domini ab illo, nempe majori pœnitentiaro absolvi nequaquam possunt; *ibidem*, § 11.

(81. Sicuti nec ab eo absolvi possunt ab incurta censura omnes quicumque etiam S. R. E. cardinales, qui, vivente Romano Pontifice, de alio eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusque aut pactiones fecerint; *ibidem* § 12.

(82. Nec potest absolvere eos, qui per astrologiam judicariam, per se vel per alios de statu reipublicæ christianæ, sive de vita, et morte Rom. Pontificis tunc existentis inquisiverint; *ibidem*, § 13.

(83. Denique nec potest absolvere in casibus publicis violatæ immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ, etiam non deductis in iudicium; *ibid.*, § 14.

(84. Tenetur Episcopus etiam in locis ubi officium S. inquisitionis viget, sedulo curare, ut creditam sibi diocesim ab Hæreticis purget; et si quem repererit, pœnis canonicis punire debet; cavere tamen debet, ne fidei inquisitores a suo munere obeundo impediatur. Deductum vero Hæreticum ad suum tribunal non minus episcopus, quam inquisitor reconciliari possunt Ecclesiae, et pro utroque foro absolvere. Quin et possunt Hæreticum postquam errores suos ejuraverit, ad simplicem confessarium, pro absolutione remittere, quæ tunc data a confessario in foro sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet. In tractat. *De Synodo diæces.* lib. VII, c. 32, § 3.

(85. Ab hæresi mere interna, et mentali, nullo exteriori signo manifestata, simplex confessarius absolvere potest, cum hæresis sit Summo Pontifici reservata per censuram adnexam, quæ certe in eo casu nulla est. Potest etiam simplex confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo vel facto fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit, neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur. Quanquam in foro externo tanquam Hæreticus puniretur, et nequidquam obtenderet se in corde fidem retinuisse; *ibid.*, § 4.

(86. Si vero agatur de hæresi externa occulta, nondum deducta ad forum episcopi, olim quidem facultas facta fuit Episcopis a concilio Tridentino, sess. 24, cap. 6, ut perse, non vero per vicarios suos, illam absolverent in foro conscientiae. Sed cum in bulla sim-

gulis annis publicata reservetur Romano Pontifici absolutio inter cætera etiam ab hæresi crimine, et in ea bulla derogetur omnibus contrariis decretis, cujusvis Concilii, hinc quæstio agitur apud theologos, num hodie pariter episcopo maneat facultas absolvendi Hæreticos in foro conscientiae. Neganda tamen est illis hæc facultas, nam illis verbis *non obstantibus cujusvis Concilii decretis*, omnis Concilii Tridentini facultas episcopis adimitur. Quam in rem multa congregationis S. Officii, et congregationis Concilii afferuntur decreta, adjiciuntur S. Pii V, Greg. XII, Clem. VIII, vivæ vocis oracula, nequid dixerim de propositione inter damnatas ab Alex. VII; « Sententia asserens bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 Julii in consistorio S. Congr. Emorum Card. visa, et tolerata est. » Ingenue quidem fatendum, hanc propositionem ideo confixam fuisse ex falsa assertione de approbatione Sac. Congregationis, quæ nulla fuit. Vix tamen creditur Pontificem adeo se præbuisse sollicitum de amovenda hac Sac. Congregationis approbatione ab ea propositione, nisi, et eandem ipsam propositionem improbabilem judicasset. De Synod. Diæc. cit. lib. VII, cap. 32. (87. Sed nec credi potest, facultatem hæresis hujusce absolvendæ Gallicanis episcopis datam esse, quanquam eam sibi multi arrogant, ut multis argumentis cap. 33, evincitur. Quod vero negatur episcopis, negandum est etiam inquisitoribus Hispaniæ, et Lusitaniæ, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modo ex bulla Cœnæ sublata est; *ibid.*, § 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(88. Lapsus in hæresim, privatur ipso facto omnibus bonis, et juribus ex text. in cap. *Vergentis de Hæretic.* Cap. *Cum secundum Leges* eod. titul. in 6. At intellige, si accedat sententia Judicis declaratoria incurse hæresis; et pœnæ condignæ, ut advertit Auctor n. 66, et dixit Rot. in Romana Pecuniaria seu Livellorum 2 Decemb. 1746, § 5, cor. Illustris. Caprar. Alm. Urb. Gubernator et 5 Febr. 1748, § cor. bon. mem. Cortad.

(89. Dubitatur vero, an hoc ipsum procedat respectu Hæretici manifesti? Negant post alios Fagnan. in c. *Absolutos* num. 14. de *Hæretic.* quæst. 189, n. 66, tenentque etiam citra sententiam declaratoriam privatum esse Hæreticum manifestum omnibus suis bonis et juribus.

(90. Cæterum textus in c. 26, de *Verb. signific.* statuit « illos intelligendos esse manifestos hæreticos, qui contra fidem catholicam publice prædicant, aut profitentur, seu defendunt eorum errores, vel qui coram prælatis suis convicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica pravitare. »

(91. Debitorum Hæretici etiam manifesti, tametsi solvere non tenentur Hæretico ipsius creditum, tamen nihil sibi lucrantur, cum

fisco illud solvere debeant, Petra in *Comment. ad constit. Apostol.* Const. 8 Innocent. IV, num. 27; Farinac., de *Hæres.* quæst. 89, num. 68, in dict. Romana Pecuniaria seu Livellorum 2 Decem. 1746, § 8, cor. Illustris. Caprar. et 5 Febr. 1748, cor. bon. mem. Cortad.

(92. Inde sequitur, quod si fiscus non exegerit creditum Hæretici, interimque Hæreticus absolutus fuerit ab omni pœna potest ipse Hæreticus suum creditum a debitore suo exigere, Rot. in dict. Romana Pecuniaria seu Livellorum 2 Decemb. 1746, § 8, cor. illust. Caprar. et 5 Febr. 1748, coram bon. mem. Cortad.

(93. Illud non omittendum, quod licet lapsus in hæresim repellatur a testimonio dicendo, ab eo tamen minime repellitur ille, qui patris sui vestigia sequens, Hæreticus natus est, Rot. in Paderbonen. canonicatus 22 Mart. 1734, coram clar. mem. Calcagnin.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

(94. Constitutio Benedicti XIII, de qua loquitur Auctor noster de solis Ruthenis ad catholicam Ecclesiam redeuntibus verba facit; et Clementis XII de solis Hæreticis in Saxonia degentibus: ait enim Summus Pontifex: « Omnia, et singula bona ecclesiastica cujuscunque qualitatis, et valoris in ducatu Saxoniae, aliisque ditionibus, Augusto regi, uti « Saxoniae duci subjectis » consistentia, præteritorum temporum confusione occupata modernis eorum possessoribus, seu detentoribus, cujusvis status, ordinis, dignitatis, conditionis, et præeminentiæ fuerint, qui ad catholicam Ecclesiam unitatem jam redierunt, vel in posterum redierint, eorumque successoribus quibuscunque catholicis, et in sinceritate orthodoxæ fidei perseverantibus, cum fructibus perceptis harum serie, de speciali dono gratiæ remittimus, condonamus, cedimus, et relaxamus, etc. » Ex quo perspicuum fit, iustantum ecclesiasticam bonam antea occupata concessa fuisse, alios vero eadem relaxatione atque cessione indigere.

RESPONSIO AUCTORIS.

(95. Dicit hic Rom. theologus quod constitutio Benedicti XIII, incipien. *Æterni Pastoris*, loquitur de solis Ruthenis, et constitutio Clementis XII, incip. *Sede Apostolica*, de solis Hæreticis in Saxonia degentibus; et revera sic loquuntur dictæ constitutiones, ut jam ibi tradidi. Sed ad alliciendos Hæreticos ut ejurent hæresim, et ad catholicam Ecclesiam redeant, neve ab hoc absterreantur, propter debitum restituendi bona ecclesiastica a suis majoribus, seu ab ipsis usurpata; sicuti præfatis Ruthenis, et Saxonibus est specificè et nominatim concessum, ut talia bona tuta conscientia redeundo ad catholicam Ecclesiam retinere possint; ita generice insinuare juvat aliis Hæreticis ad magis eorum conversionem planandam et augendam; quia ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio; L. *Ideo* 21, ff. de *Legibus*; L. *Illud* 32, ff. ad l. *Aquiliam*, et c. *Inter corporalia* 2, de *translat. Episcop.* Cum ratio

legis sit anima legis, textu expresso in L. *Cum ratio* 7, ff. de *Bonis damnat.* et quatenus opus esset etiam pro aliis similis specifica concessio felice posset semper haberi. Et

HEBDOMADA, HEBDOMADARIUS.

SUMMARIUM.

1. Varia Hebdomadæ nomina. — 2. 3. Hebdomada

(1. Hebdomas, Græcis spatium dierum septem, vocatur septenarium; Latini septimanam, ut vulgus appellant: Calvin. *Lexico Jurid.* verb. *Hebdomada*. (2. Et hæc septimana sic a vulgo appellata, dicitur latine communiter Hebdomada; et dupliciter sumitur; uno modo pro Hebdomada composita ex septem annis, de qua habentur plura exempla in sacra Scriptura et signanter *Genes.* 28, 29, ubi Patriarcha Jacob non nisi post servitutem septem annorum præstitam Labano obtinuit in uxorem pulchram Rachel, ibi: *Acquievit placito, et Hebdomada transacta, Rachel duxit in uxorem.* Aliud exemplum habetur *Levit.* c. xxv, 8, pro anno Jubilæ; ibi: *Numerabis quoque tibi septem Hebdomas annorum, id est septies septem quæ simul faciunt annos quadraginta novem sanctificabisque annum quinquagesimum.* Tertium exemplum habetur *Daniel* ix, 24, ubi ab Archangelo Gabriel fuerunt revelatæ Danieli prophetæ septuaginta Hebdomadæ, post quas venisset, ut de facto venit, Messias Redemptor mundi, ibi: « Septuaginta Hebdomadæ abbreviatæ (id est definitæ) sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas; et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. » (3. Alio modo sumitur pro Hebdomada composita ex septem diebus, eam incipiendo a die Dominico usque ad sabbatum, et hæc initium habuit ab origine mundi, dum Creator omnipotens omnia creavit, et eduxit ex nihilo, termino sex dierum, ut habetur *Genes.* cap. 1, per tot. quibus sex diebus adjunxit septimum, vocatum diem quietis et sanctificationum Domino, ut habetur *Genes.* ii, n. 2, et 3, ibi: « Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret; » et hæc est Hebdomada, qua in præsentiarum communiter utimur omnes; Clericat. in *suis spic.* verb. *Hebdomada*.

(4. Decanus, qui ex consuetudine simul, est canonicus, et una Hebdomada servit ut decanus, et altera ut canonicus, in Hebdomada, qua servit ut canonicus debet sedere in loco canonicali, circumscripta consuetudine; sac. congreg. Conc. in una Fulginatensi 26 Novemb. 1616.

(5. Impeditus a capitulo, aut etiam expulsus, quominus cum aliis choro interesset, quotidianas distributiones non amittit, et in hoc casu non est necessaria protesta-

utinam tali indulgentia allici possent ad ejurandam propriam hæresim, et ad catholicæ Ecclesiæ castrâ repetenda qui est finis a Summis Pontificibus intentus.

annorum et dierum. — 4-26. Multa de Hebdomadariis quoad assistentiam in choro et cæremonias.

tio, nisi ante expulsionem aliquid omisisset, quod potuisset facere pro consequendis distributionibus hujusmodi, veluti si omisisset facere hebdomadam probatoriam; sac. Rota in Casalensi distributionum coram Orcembergio 16 Novemb. 1603.

(6. Canonicus etiam non constitutus in sacris debet habere suam Hebdomadam, si collatio spectat ad canonicum Hebdomadarium per turnum; Sacra Rota in Leodien. Beneficii coram Durano 24 Novemb. 1628.

(7. Si quis gravi morbo oppressus, fuerit a sede apostolica provisus de canonicatu in ecclesia cathedrali, dictoque morbo durante, possessionem cæperit per procuratorem, absque eo quod ex causa ejusdem morbi nunquam personaliter inservierit, sed solum in ultima Hebdomada mensis vespere, et missam per alium canonicum celebrare fecerit, lucratur distributiones a tempore possessionis, ut supra, captæ; sac. congreg. Conc. 23 Julii 1650, in una Sarcinaten. ad c. 11, sess. 24, de reformat.

(8. Cum in Liberiana Basilica S. Mariæ Majoris de urbe, beneficia illius ecclesiæ spectent pro duabus ex tribus partibus ad archipresbyterum pro tempore, et pro alia ad canonicum de Hebdomada, ita ut canonicus pro una, archipresbyter pro duabus Hebdomadis beneficia præfata conferat ex concessione Pii IV. Si quis ex beneficiatis ecclesiæ prædictæ moriatur in vespere Sabbati, licet Hebdomada canonici Turnarii incipiat a dictis vespere Sabbati juxta text. in *Canon. quod die 75* dist. et in cap. 1, de *fer.* et in *Clement. de relig. et vener. Sanct.*, attamen collatio beneficii spectat ad collatorem, qui erat in Hebdomada vacationis non autem ad canonicum Turnarium, successurum, cujus facultas nondum accesserat, ad text. in cap. *ex parte de concess. præb.* Hebdomada enim non completur, nisi post adventam mediam noctem ultimi illius diei, et in beneficialibus attenditur dies naturalis, qui incipit a media nocte diei præcedentis, et spatio viginti quatuor horarum terminati in mediam noctem sequentem, juxta text. in *l. more Romano*, ff. de *fer.* et in cap. *Consuluit*, vers. *licet etiam, de offic. et potest. Jud. Deleg.* Et ad affectum reservationis sic computat diem dataria, et cancellaria, et idem servatur in alternativa mensis inter papam et episcopum; et collatio beneficii ratione mensis non differt a collatione ratione hebdomadæ, sed utraque iisdem regulis subjacet, ut erudite Rota romana, Beneficiatus S. M. Majoris coram Albergato decano, part. 19, *decis. recent.*, t. I dec. 97, num. 1 et seqq.

(9. In hebdomadariis existentibus in ecclesia Collegiata, cui animarum cura annexa

est ut collegio non ut singulis, examen per concursum non requiritur, sed in forma dignum, ut resolvit Sac. Cong. Conc. 13 Aug. 1596.

(10. Quilibet functiones suas prompte obeat, ut puta missam planam, vel cantatam, tam solemnem, quam conventualem ac hebdomadariam juxta Ecclesiæ laudabilem consuetudinem sub pœna punctaturarum juxta sacrorum canonum dispositionem, ac Ecclesiæ consuetudinem: sac. congreg. Episcop. et Regular. in Theatina 18 April. 1617.

(11. Hebdomadarius non debet celebrare valde diluculo; sac. congreg. Episcop. et Regul. 20 Febr. 1601.

(12. Hebdomadarius absens ex causa ex qua conceduntur distributiones, nihil tenetur dare supplenti Hebdomadam pro ipso, nec ipse supplere, quando rediit; sac. congreg. Episcop. et Regul. 5 Martii 1602.

(13. Hebdomadarii absentis, vel impediti vices supplere debet canonicus junior juxta consuetudinem Ecclesiæ et non coadjutor, licet sedeat post ultimum canonicum: sac. congreg. Rit. in Elboren. 15 April. 1606, apud Barb. de *Canon. et Dignit.* cap. 29, n. 34.

(14. Hebdomadarius non potest præterdere celebrationem missarum, et officiorum, quæ ad primam dignitatem pertinent, ea vero absente, vel impedita, tunc secunda dignitas debet illa celebrare; sac. congreg. Rit. in Andrien. 15 Martii 1608.

(15. Hebdomadarius quando est paratus debet sedere in primo loco; quando vero non est paratus debet sedere in proprio stallo; sac. congreg. Rit. in Perusina 20 Decembris 1660. Si vero est consuetudo, ut quando non est paratus, præcedat aliis canonicis, aut dignitatibus, servanda est: ead. sac. congreg. in Adrien. d. die 20 Decemb. 1601, apud Barbosa in *Summ. Apostolic. decision.* verb. *Hebdomadarius* num. 3.

(16. Hebdomadarius officium faciens primum locum habere debet super omnes canonicos, et dignitates, si ipse est canonicus, vel dignitas. Si vero est clericus, debet accedere in medio chori; sac. congreg. Rit. in Brundusina 17 Junii 1616, apud Barbosa loc. cit., num. 4.

(17. Hebdomadarius in decantandis Horis Canonicis non debet uti stola; sac. congreg. Rit. 4 Augusti 1663, apud Piton. Constitut. ac decision. ad Canonicos num. 718.

(18. Canonici denominantur Hebdomadarii, si tales in creatione vocati sint, et Hebdomadarii vocantur etiam canonici, si ita ab observantia sint vocati: sac. Rota in Avenionen. denominationis, coram Rondin. part. 17, recent. decision. 212, num. 2 et 3.

(19. Tales Hebdomadarii tenentur assistentiam facere canonicis celebrantibus juxta statutum Ecclesiæ; sac. congreg. Rit. in Avenion. 24 Mart. 1612, apud Barbos. loc. cit. n. 5.

(20. Dignitates collegiatarum tenentur exercere Officium Hebdomadarii, et alia munia subire, sicut cæteri canonici; sac. congreg. Conc. in Cursul. 29 Maii 1653, et in Romana contra Archipresbyterum collegiatæ

S. Mariæ in Cosmedin. 11 Dec. 1694, 26 Mart. 1696, et 11 Februar., 1696, apud Monacell. tom. I, tit. 2, formul. 4, num. 10.

(21. Hebdomadarius etiam non paratus, quando est facturus officium, debet sedere in primo loco supra omnes canonicos, et dignitates; *Cæremon.* lib. ii, cap. 6, ibi: « Canonicus, etc., facturus officium, etc., ascendit chorum in primo stallo, seu sede ex ea parte ubi stet Hebdomada, chorus assignatur. » Et resolvit. sac. congreg. Rit. in Romana 21 Novemb. 1626, et in Aretina 24 Jan. 1688, et ita judicavit congregatio particularis eminentiss. card. Mariscotti, Colloredi et Nigrone inter capitulum S. Mariæ in Cosmedin, et Abbatem Piazza ejus archipresbyterum, et per sententiam 4 Septemb. 1703, demandatum fuit, « canonicum Hebdomadarium, facientem officium, etiam non paratum, debere in omnibus præcedere archipresbytero, servata forma super modo sedenti in choro in omnibus, et per omnia prout disponitur » in *Cæremon. episc.* lib. ii, cap. 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. De canonico hebdomadario parato quæritur, utrum is sedere prout debeat in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato, an in primo stallo ab ea parte chori, in qua Hebdomada obtingit? Dubium inde nascitur, quod *Cæremon. episcop.* lib. ii, cap. 3, § 4, non absolute jubet, ut canonicus Hebdomadarius paratus sedeat in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit Hebdomada, sed alternative, ut sedeat, vel in dicto scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato vel in primo stallo ab ea chori parte, in qua Hebdomada obtingit.

(23. Distingui autem debent missæ a vespere. Porro si de missis agatur, chorusque sit retro altare, canonicus Hebdomadarius paratus non in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit Hebdomada, sed in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato sedere debet, ne alias toties accedere, et recedere de loco ad locum teneatur. Et de his sane functionibus intelligi debet cæremoniale episcoporum, dum canonico Hebdomadario parato potestatem facit sedendi in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato. Concordatque Rubrica Missalis Romani tit. 17, de *Ordin. sedend. in missa solemn.* n. 6.

(24. At si res sit de Vespere, pariterque sit chorus retro altare, canonicus Hebdomadarius paratus, qui semper in choro assistere decet, excepto modico illo spatio in quo dum cantatur Psalmus: *Magnificat*: incensatur altare, non in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ præparato, sed in primo stallo ab ea parte chori, in qua Hebdomada obtingit sedere debet, ut ita semper assistat, pro ut tenetur, in choro. (25. Et de hisce et aliis functionibus intelligendum est cæremoniale episcoporum ubi ait, canonicum Hebdomadarium paratum sedere posse in primo stallo ab ea parte chori in qua obtingit Heb-